

Lto. 70.





14

D. CHRIST. AVG. CRYSII

COMENTATIO

DE

VSV LIBRI ESTHERAE

AD

PRAXIN VITAE CHRISTIANAE.

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.

IN MEMORIA SYLVERSTEINIANA

D. XVI. APR. CIOICCLXXXIII.

Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.





in licentia illa, quam nunc aliqui sibi sumunt ad oppugnandum canonem Scripturae S. eaque in re, dum abutuntur polymathia sua, multis videntur docte et liberaliter agere, ipsi vera suam iactant probitatem, videlicet quoniam ex animi sententia agunt, non simulate, quasi hoc sufficeret ad *εὐλογεῖσθαι* et ad *ἀληθεύειν*, in ista, inquam, sentiendi et disserendi licentia audiuius haecenus etiam Estherae libri mentionem crebro fieri, eumque librum inter alias criminationes ineptas etiam traduci, tamquam nihil valentem ad praxin vitae Christianae, et utilitatis practicae expertem. Non iam diuinitatem codicis sacri, non canonicam libri Estherae auctoritatem, vindicabimus, qui locus ne egebat quidem noua defensione, sed postquam illa propter obloquentes recentior opus esse coepit, a multis viris doctis iam occupatus est, et occupatur, et sine dubio amplius ab iisdem et pluribus tractabitur. Neque etiam angusti limites, quibus circumscribenda est haec prolusio nostra, permitteret, argumentum late patens digne pertractare. Sed aliud est, quod mente agitur, quodque et in se notatu dignum, et scriptiois nostrae terminis accommodatum est. Nimirum quidquid canonis sacri obtreclatores contra illum proferre, et in publicum propellere volebant, quod ipsorum sit periculo, dum impie aduersus Deum agunt, et verbum Dei scriptum, quo nullum maius optabiliusque bonum hominibus diuinitus datum est, illis eripere tentant; eripiunt enim vere, quia totum, in quo vlla stultitiae pars insit, non potest a Deo inspiratum esse, nec pro norma fidei adhiberi: non tamen decebat, talia effutire, cuiusmodi sunt, quod liber Estherae utilitate practica ad vitam Christianam careat. Quid enim hoc est, nisi aduersus solem loqui?

Non enim de eo agitur, an sine hoc libro tamen aliunde, et ex aliis libris sacris, omnia dogmata fidei et morum, quae corpus doctrinae Christianae efficiunt, peti et disci possint. Alienum profecto hoc est. Nam similiter pronuntiaripotest de epistola ad Romanos, de singulis Psalmis, et de quo non? Sapienter a Deo prouisum est, vt canonica librorum sacrorum collectio successiue fieret, intra sedecim secula, vtque nusquam systematice scriberetur, sed systema dogmatum et oeconomiae prouidentiae Dei sparsim insit, quoad occasio dicendi erat, in sermonibus et scriptis per certas occasiones datis. Etenim inest in eo pars eiusmodi constitutionis canonis, qua fit, vt interna veritatis criteria in ipsis libris sacris insint; simulque securitati doctrinae pariter prouisum est, quae falso vel male explicato loco vno superest et peti potest ex locis aliis, quia

quia eadem doctrinae partes saepe et per frequentes dicendi occasiones occurrunt et recurrunt. Sed fraus subest, si quis partem canonis temere tollens, allegat, quod haec pars ad integritatem corporis doctrinae non absolute necessaria sit. Nam totum tamen tollitur, si alius hanc, alius aliam partem abscindat: cur enim vni solummodo competat liberaliter agere, non idem cuique ius sit, qui sibi prae reliquis sapere videatur, summamque generis humani felicitatem ab audacia destruedi; doctrinas hactenus creditas sub nouum examen, idque inusitato et arbitrario more instituendum, vocandi, discordias disseminandi, seque iactandi, expectet? Vtilia multa sunt, quae absolute non sunt necessaria, quod, qui negare auderet, intelligeret tamen ita se habere, si experimento discere cogeretur, nempe si, subtractis rebus vtilibus particulatim, nihil illi nisi alimenti et vestimenti tantillum relinqueretur, ut nefame et frigore prorsus interiret? Atque sic contendimus, vtilitatem practicam ad vitam Christianam in libro Estherae tam copiosam et facile obseruabilem reperiri, ut, qui traducat hunc librum, tamquam ad praxin inutilem, vel admodum inconsiderate agat, ipse nesciens, μήτε αὐ λέγει, μήτε περὶ τῶν διαβεβαιῶται, vel non omnia proloqui velle videatur, sed monstra recondita alere, et aliud corde premere aliud ore prae se ferre censendus sit. Quare iam specimina quaedam vtilitatis libri Estherae dabimus, praesertim quoniam hoc proficuum esse potest, ad iuuenum animos excitandos, ut ipsi attentiores et cautiore reddantur, nec auctoritatibus virorum, quorum literaturam magnifacere solent, decipiantur, et creduli erga illos sint, vbi hi errant, et ingenio suo indulgent, sed suis cernere oculis adsuescant.

Ut, qua de re agatur, lector facilius intelligat, historiam in libro Estherae traditam breuiter complectamur. Quae ad vindicandam ideam iam tradendae veritatem pertinent, alibi tractauimus *), quae a volentibus illic legi possunt, nec ea huc transferri necesse est. Nempe rex Persarum Ahafuerus, qui apud Graecos Xerxes dicitur, anno regni sui tertio (regnauit autem annos 21 et quidem 15 post pugnam ad Salamina, quae itaque contigit anno 6) epulas omnibus prouinciarum praefectis et proceribus, in regia, Susis, immodico luxu et per integrum semestrem instruxit, quem conuentum probabile est habitum fuisse ad deliberandum de bello aduersus Graecos, contra quos copias inauditae multitudinis educurus erat, congregandas ex omnibus vasti imperii partibus, quod institutum apparatus immentos, deliberationes, et mandata praefectis danda, poposcisse, per se patet. Postremo etiam simili luxu

A 2

*) Vid. CRYSII *hypomnemata ad theologiam prophetica*, Part. I. Cap. III. p. 104. pag. 371—379.

IV

epulas vniuerso populo Susiano per septem dies instruxit, regina autem, Vasthia, epulas per septiduum mulieribus praebuit. Inter quas in mentem venit vltimo septidui huius die regi bene potio arcessere reginam, vt publicae eam produceret eiusque pulchritudinem ostentaret. Renuit haec venire, in quo vix viderit quisquam aliquid magnopere reprehendendum, quia illud ebrii regis postulatum vere infra dignitatem, et iudicando secundum mores gentis, pudori reginae contrarium erat. Rex tamen ille, vt erat iracundus, crudelis et ad omnem intemperantiam profusus, magnum delictum hoc interpretatus est, in quo consentientes reperit adulatores, quorum aliquis scandalum publicum in tali causa vidit, quasi nunc vxores maritis non amplius morem gesturae sint, si regina admissum tantum crimen, quod non iussu ebrii temulentis spectaculo esse voluit, impune auferret. Repudiata ergo est Vasthia, et formosissimae per totum regnum puellae conquisitae sunt, ex quibus concubinas et reginam vnā, quae Vasthae surrogaretur, deligeret.

Inter puellas has Hadassa, quae Esthēra dicta est, Iudaea, *ἡ Ἐσθῆρ*, educata ab agnato et tutore Mardochoaeo, qui officio aliquo aulico fungebatur, ad gynaeceum sumta est, quae tamen non profata est, qua gente prognata esset, nec opus habuit indicare, quia non generis, sed formae et morum vnice, ratio habebatur. Placuit praefecto gynaecei et omnibus, non forma solum excellenti, sed et modestissima morum suauitate. Anno regni septimo, mense decimo, (ideoque postquam Xerxes victus ad Salaminem Susa redierat, et luxuriae se dabat) haec Esthēra regina creata, ingentique cum pompa et sumtu coronata est. Mardochoaeus nunquam deserat, eam obseruare, nemine animaduertente, ex quo tempore ad gynaeceum sumta erat, nec desit illa optimo tutiori dicto audiens esse, etiam postquam ad regiae maiestatis fastigium euecta fuit.

Postea (anno regni Xerxis, vt videtur, vndecimo) Haman quidam, qui Agagita vocatur, puto, quia genus duxita regibus Amalekitarum, celeberrimae olim gentis, cuius imperantes communi dignitatis nomine Agag dicti sunt, vt rex Aegypti dicebatur Pharaon, vel Palaestinarum rex Abimelech, primus minister in regno Persarum constitutus, et illi honor adorationis, id est genuflexionis, cum inclinata ad terram vsque facie, decretus est. Quem quum omnes, quando per portam palatii regii ibat, flexis genibus venerarentur, sed idem non faceret Mardochoaeus; assentatores, qui magno concursu gratiam Hamani captabant, Mardochoaeo exprobrare coeperunt, quod mandatum regis transgrediantur. Sed criminatio haec profecto fictitia erat. Nam si Hamani honor a rege decretus fuit, vt hoc praeministris reliquis praecipuum haberet, vt flexis genibus suspiceretur; quis hoc aliter intelligat, quam vt tali

deue-

V
deueneratione honoraretur ab accedentibus ad illum, utque, si quisquam petendi vel negotiorum causa illum adiret, is flexis genibus eum compelleret. An propterea omnes in genua coram illo prouolui oportebat, quibus nihil rei cum viro erat? vel quando per plateas ibat, omnes qui in via erant? Ergo etiam, quando in palatio regio commeabat, non opus erat, in genua quemque prouolui, qui loqui cum Hamane volebat, etsi captatores aurae aulicae, et benevolentiae praefecti omnium Sarraparum, illud faciebant sponte et suae utilitatis causa. Quod si Mardocheus ea re mandatum regis vere violasset, cur non in prima, ut dicitur, instantia zelotae eum accusassent? Sed adulationis erat, quod aliqui rem ad Hamanem ipsum deferrent, ex quo tempore transiens per portam obseruare Mardocheum coepit, et intellecto, quod is honorem genuflexionis illi nunquam exhibeat, sed sedeat suo loco, vehementi ira accensus est. Cur sic fecerit Mardocheus, plures subesse causas possunt; at vero cur requiramus absconditas rationes, quum sufficiat una, quae aperta et perspicua est? Senex enim decrepitus, sepulchro proximus, qui nil rerum humanarum ulterius curabat, nil appetebat, cur obrudere se adulatorum more Hamani debuit? cur proeumbere iuuenum more, qui ad ampliorem fortunam per patronos aspirant? Annon potius adfectorum quiddam fuisset in fene inusitatae grandaeuitatis, quod a minoribus aetate regulariter et prudenter fiebat? Nam Mardocheus fuit ex transportatis cum Iechonia, Esth. II. 6. quae transportatio contigit anno Nebucadnezaris octauo, a quo sunt usque ad annum Xerxis vndecimum, iuxta canonem Ptolemaei centum anni (ab anno mundi, secundum Bengelium in Ord. Temp. 3389, usque ad A. M. C. 3489.) Est igitur aetas Mardochei concipienda, uti illa Ioiadae Pontificis, quae 130 annorum facta est, 2 Par. XXIV. 15. Et vniuersae notari debet, fuisse hoc e numero singularium Dei beneficiorum, quibus populum suum post Hierosolymanam a Chaldaeis vastatam affecit, quod complures viri boni ad aetatem vltimam rarissimamque et inusitatum euecti sunt. Sic enim cautum fuit, ne prisca cultuum, morum, et rerum gestarum memoria intercideret. Nam ex sacerdotibus, qui in templo primo ministrauerant, superstites erant, qui sacris faciendis adhiberentur pariter in templo secundo. Insuper multorum instructioni et protectioni omnimodae prouisum ea re fuit, si viri venerabiles, in quibus magna auctoritas esset, quam diutissime viuerent, suisque cura, auctoritate, gratia apud homines in dignitate constitutos, consiliisque prodesse.

De vindicta ergo a Mardocheo per supplicium sumenda Haman cogitauit. Sed quia ad superbissimi nebulonis iracundiam odium quoque Iudaicae religionis accedebat, non satis habebat interficere contem-

torem vnum suae maiestatis, sed perdere totam gentem, non mulierculis non infantibus exceptis, instituit, atque hoc pacto a commentitia laesione per vltionem illustrissimam, quae post hominum memoriam nihil sui simile haberet, vindicari voluit. At vero in consilium sic incidit, quod vbi successisset, strage illa periisset spes humani generis, et decretum Dei regnum delerum fuisset. Nam ex hac gente Christus nascendus erat, *ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν*. Atqui hoc fieri non potuisset, si Iudaei omnes trucidati essent. Nec non si vnum alterumque sumas superstitem manere potuisse, qui latuerit, aut ad salutem in terras extra imperium Persicum fugerit, tamen Christus non desinito tempore et ad gentem supra patres multiplicatam, mitti potuisset, ideoque propheta, quae in libris sacris extabat, non euenisset, et speciatim templum sub Xerxis patre, Dario, iussu Dei per Aggaeum et Zachariam, prophetas, tandem aliquando restauratum fata prorsus contraria expertum esset, quae cum extantibus praedictionibus nullo modo consisterent.

Derulit ergo Haman gentem Iudaeam, tamquam propter statuta propria intolerabilem omnibus, cunctisque noxiam, et ad facilius flectendum regis animum, qui ad talia facile flectebatur, crudelis enim erat, gazae thesaurum notabilem ex bonis exciuae gentis pollicitus est. Itaque obtinuit decretum de excindenda gente Israelitica, et irrevocabile illud, scriptum lege Persarum et Medorum. Quinimmo rex fraude hominis eo dementiae perductus est, vt, quasi Haman saluberrimo consilio regnum a maximo malo liberaret, argentum ne gazae quidem inferri vellet, sed Hamani donaret, nimirum vt tanto diligentior esset ad expediendam rem, quae in imperio tam vasto sedulitatem non modicam requirere videbatur. Idem vero Haman etiam superstitiosus erat, et deastris serio deditus, sine quorum numine tanti ambitus et multiplicis, periculi negotium perfici non posse ratus, sorte diuinatoria sibi diem rei gerendae assignari curauit initio anni Xerxis duodecimi C. III. 7. Sors illa diem dixit mensis vltimi decimum tertium. Sic spatium sat amplum interiectum manebat, intra quod prouidentia Dei specialis, sine aperto miraculo, impium institutum potuit irritum reddere.

Videlicet promulgato Susis edicto regio de exstirpanda statuto die Iudaea gente, ipsi incolae Susorum attoniti facti sunt. Mardocheus autem reginam de illa re certiolem fecit, et grauius hortatus est, ne ipsa cum vitae periculo detreclaret pro gente sua intercedere, quam perire Deus quidem permitturus non sit, sed illi opem quomodocunque sit laturus, sed cuius causam agere iam suarum patrium sit, quibus si se subtraheret, ipsa culpam habitura sit, et sui excisionem metuere debeat. Erat sane res, quam reginae Mardocheus suadebat, propter barbariem

et immanitatem regni Persarum, nostris hominibus fere incredibilem, cum capitis periculo coniunctissima. Sed pia regina illud subire non recusavit, seque contulit ad ieiunia et preces, et socios ea in re sibi comparavit Iudaeos Susianos omnes, usque ad tertium diem, quo ausa est iniussa in conspectum regis venire, et, excepta a marito tyranno clementer, cum cum Hamane ad paratas a se epulas invitavit. Rex bene potus reginae facultatem dedit expetendi sibi a rege beneficii, quantumcunque sit, usque ad dimidiam regni portionem. Non statim vsa est copia petendi liberaliter facta, cuius rei multae et bonae causae esse potuerunt, veluti si sentiret, regem nimis ebrium esse, verendumque, ut, quid dixerit, postridie recordaretur, quo posito peritio contra Hamanem prolata huius studio certissime in eius interneconem versa fuisset. Quidquid sit, nam providentiae divinae potius quam mulieris cogitata expendenda sunt, maluit sibi quasi spatium deliberandi sumere, quid decenter expetere possit, interim iam rogavit, ut ad epulas a se crastino die instruendas rex cum Hamane rediret, idque obtinuit.

Nunc uniuersa rerum facies inopinato conuertitur. Insomnem rex noctem tolerat audiendis praelectionibus ex annalibus de rebus gestis sui temporis. Memoratur conspiratio contra suam ipsius vitam, feliciter detecta a Mardochoaeo. Statim sciscitatur, quale praemium rulerit vir, cui seruatum vitam ipse debeat, et cognoscit, quod nullum acceperit. Contextus docet, diem iam illuxisse, quum hoc accideret, C. I. 4. 5. ideoque in fine lectionis demum historia de seruato per Mardochoeum rege occurrerat. Opportune hoc ita contigit, nam credibile est, regem ebriosum, etsi hac nocte insomnem, plurima audiuisse semidormientem, donec sobrietatis sensum rediisset, et hoc ipsum, quod de Mardochoaeo memoriae proditum erat, tamen fuisse obliturum, si citius obuium fuisset, et plura posthac legerentur. Praesto tunc in aula iam erat Haman, regem conuenire cupiens. Admisit eum, sed statim illum rogavit, qualem putet honorem publicum decore haberi posse viro, quem rex singulariter honorari velit. Reuera aduenerat Haman petendi causa, ut sibi liceret Mardochoeum ab erecta arbore, quinquaginta cubitos alta, suspendere. Nam citissime hac ipsa nocte talis arbor erecta fuerat ex consilio vxoris suae. Nam quum gloriatus esset Haman de honore, quo illo die fructus sit, imprimis quod cum rege solus epulatus sit apud reginam, sed negasset, se satis habere, quamdiu Mardochoaeus in porta palatii sedeat, illa statim consuluit, ut trabs, in qua cras periret Mardochoaeus, hac ipsa nocte pararetur. Sed cur lignum quinquaginta cubitos altum, nempe quod cum subiecta basi ad tantam altitudinem emineret? Scilicet pro causae dignitate, ut, quantum delictum sit Hamani genua non flexisse,

xisse, in hoc exemplo per vniuersa Susa conspiceretur. Neque etiam Hamani vlla occasio cogitandi de Mardochoeo erat, quum rex consilium eius expeteret, quomodo satis publice et splendide honorari posset, quem singulari honore afficere rex velit, sed de se ipso agi putabat, regemque meditari nouum beneficium Hamani exhibendum arbitrabatur. Consilium, quod regi dedit, Hamanis animum prodit; nihil enim continet, nisi exorbitans quidpiam, attamen vanissimum, quale barbarus ille sibi optabat. Sed caerimoniam Mardochoeo habere iussu regis statim cogebatur, qua peracta quum iratus domum properasset, vxor eius statim malum omen inde elicibat; sed interea Haman ad prandium reginae vocabatur, cui non poterat non interesse.

Rex vino hilaris iterum, quemadmodum pridie, reginam iubet petitionem proferre, quae quum sibi et genti suae vitam exoraret, ne ad supplicium et gentis excisionem traderentur, addito, quod vendi illos ad feruitutem regi minus noceret, stupens rex et interrogans, equis tale quid audeat, audiensque de Hamane, in iram vertitur, surgensque de prandio spatium deliberandi sibi sumit obambulando per hortum. Interim Haman supplex a regina orat, vt suae ipsius vitae parceretur. Quem quum rediens rex ad reginae lectum tricliniarem procumbentem vidisset, iratusque statim dixisset, an in ipso palatio opprimere reginam velit; intellexerunt confestim comites regis, Hamani supplicium decretum esse, eiusque faciem velarunt. Ad aures alicuius iam peruenerat trabs erecta, ex qua suspendendus erat Mardochoeus; quare hoc Hamanis consilium regi inuidiose narrat, quo cognito suspendium ex illo ipso patibulo Hamani statuitur, et omnia eius bona totaque domus donantur Estherae. Ex qua deinceps quum rex porro cognouisset, Mardochoeum con sanguinitate illi iunctum esse, quem ipsa domui Hamanis acceptae praefecerat; rex Mardochoeo sigillum, nempe annulum, quo mandata obsignabantur, tradidit, et secundum a se locum dignitatis attribuit.

Iam instabant regina et minister, vt, postquam Haman poenam luisset promeritam, crimen quoque eius aboleretur, et intentata Iudaeis perniciis auerteretur. Sed inops consilii rex erat, quia mandatum, vi cuius stato die cuilibet licebat Iudaeos occidere et bona eorum diripere, irrevocabile censebatur; nam lege Persarum et Medorum scriptum fuerat. Quapropter ipsorum prudentiae permisit, vt modum reperirent, quo Iudaei salui esse possent, neque tamen abolendo superiori mandato inuiolabilis auctoritas iustum, qui lege Persarum et Medorum promulgati sint, infringere. Itaque hi vnica, quae supererat, via vsi sunt, et nouo mandato edixerunt, vt eodem stato die Iudaeis liceret se defendere contra inimicos suosque osiores occidere cum familiis ipsorum, et bona illo-
rum

rum diripere **C. IV. II.** Tali mandato Iudaeis duo tribuebantur, alterum, vt contra aggressores se defenderent, alterum vt, sicubi aduersarios sibi inuenire haberent, eos, etsi illo die prudenter quiescerent, tamen ipsi met exquirere et interficere possent. Potestas simul data vxores et liberos inimicorum occidendi per se est immane quiddam, attamen nihil crudelius, quam quod priori mandato regio osoribus Iudaeorum in illos concessum fuerat. Interim pro morum temporis feritate ferme necesse fuit, Iudaeos, quando occidere inimicos opus haberent, non parcere occidendis vxoribus et liberis; nam alio tempore hi necem parentis et mariti vlturi erant.

Libertas igitur haec Iudaeis data, vt illis liceret occidere inimicos suos, simulque diripere bona occisorum efficere poterat et debebat, vt interiecto tempore, quod profecto sat longum fuit, et in remotissimis prouinciis aliquot menses amplectebatur, omnes, qui, eousque hostiliter contra Iudaeos egissent, cum illis in gratiam redirent, et beneuolentiam eorum captarent, ne hi mallet eos necare, quam vicinos et amicos habere. At Iudaei strage edita ne quidem vsquam spolia rapuerunt, quod, quoniam non credibile est inter illos non fuisse homines cupidos, contigisse oportet cura Estherae et Mardochoaei, qui scriptis epistolis praeuertent cupiditati praedae. Quod si inter omnes, qui parebant Xerxi, modicus honestatis et aequitatis sensus valuisset, re tam sapienter expedita nihil quidquam sanguinis fufum fuisset. Nam contra innoxios homines, qui nil contra rempublicam deliquerant, quorum religio non odium gentis sed caritatem merebatur, quippe ad omnes boni ciuis numeros explendos diuina auctoritate Iudaeos adstringens, quos ad supplicium sibi dedi curauerat nebulo in flagitio deprehensus et propterea infami supplicio affectus, omnibusque foedum spectaculum factus, ecquis, inquam, contra tales tali mandato sibi reuera tribui potuisse licentiam committendi homicidia et rapinas exercendi, existimare potuit, nisi ipse esset nefarius et humano nomine indignus? Rursus si Iudaei hostes capitales non habebant; si non fuerunt, qui ipsos vel religionis causa ad interuentionem odissent, vel qui Hamanis necem vlscisci vellent in illis, postquam cum huius casu ipsorum fortuna cecidisset; insuper si non ignorarunt, quam ob causam sibi nouo mandato ius datum sit, vitam suam contra hostes tuendi et suae in posterum securitati prospiciendi, atque etiam mandata et monita priuatim Susis acceperunt: poteratne quidquam barbarum ex nouo mandato existere, praeterquam quod statim die 13 mensis Adar Iudaei necesse habebant coire, in castra congregari, vel in loca munita ad securitatem se recipere, donec liquido

B

consta-

constaret, an ipsorum capiti periculum pararetur? Accedit, quod, si quis praeter rationem stato die occidisset quemquam, quem hostem Iudaeorum capitalem fuisse, non publice et palam notum fuisset, is posthac vindictam metuere debuit. Iidem sane magistratus, qui stato die iussu regis Iudaeos pro lubitu agere sinebant, postea non difficulter occasiones reperissent, quocumque praetextu opprimendi Iudaeos, quos sentirent iure suo in detrimentum reipublicae abusus fuisse. Atque aliud quoque addendum est. Si potentes Iudaeorum ofores dicto die illos aggredi voluerunt, annon mercenarios milites, sicarios, plebis concursum, curare poterant, quantum vellent, ita vt Iudaei congregati, qui sparsim habitabant, et magnas nullibi copias cogere potuissent. ad resistendum multitudini nequaquam sufficerent? Item si causa Iudaeis alicubi erat, quamuis iusta, vtendi data potestate et occidendi capitales suae gentis religionisque hostes, idque etiam magistratu non vetante egerunt: annon nihilo minus concursus amicorum cuiusque futurus erat, annon plebis colluies parata fuisset, siue pretio conducta, siue praemium sperans, siue concitata affectu et consueta mobilitate? Ideoque Iudaei non sine sui ipsorum periculo in hostes irruissent, in eorum aedes irrupissent, eosque vel intus occidissent, vel extractos ad supplicium sub dio trucidassent. Sed annon tales, ad summam adactos desperationem, ad vltimum vitae halitum pro vita sua pugnare necesse erat. Ex quo sequitur, Iudaeos nec seruari statuto die, nec contra inimicos grassari potuisse, nisi singulari Dei prouidentia adiuti fuissent, quae metu Iudaeorum diuinitus immisso animos percellerat, simulque plurimos benevolentiae erga illos et aequitatis sensu mouebat. Atque talis prouidentiae etiam expresse mentio fit, C. VIII. 17. IX. 2.

Notatu dignum est, postquam Susi stato die 500 homines a Iudaeis, et cum his decem Hamanis filii, occisi erant, eamque stragem rex Estherae quasi exprobens commemorauerat, attamen plus petendi facultatem simul dederat, reginam Iudaeis Susianis eandem ofores occidendi potestatem exorasse adhuc in sequentem diem, quo obtento postridie 300 homines ab illis interfecti sunt. Credibile est, illos, qui sequenti die perierunt, die caedis abfuisse Susi et latuisse, sed vindictae a Iudaeis alio opportuno tempore fumendae tanto cupidores fuisse, idque cognitum habuisse reginam. Quod si ita est, intelligitur, cur Esthera, quum illi liceret plus petere, extensionem mandati ad sequentem diem curauerit, quippe quo inimici Susa reuerterant, et nihil periculi amplius metuebant. Summa omnium, qui per vastissimum imperium in 127 prouinciis in dimicationibus illis, quibus hostes cum collecta

lecta

lecta manu contra congregatos Iudaeos pugnarunt, nec non per irruptiones Iudaeorum in domos inimicorum, perierunt, comparari non potest cum pereuntibus plerumque in bello, maxime in consuetis illius temporis bellis. Est enim non nisi septuaginta quinque millium. Quam parum comparari hic numerus potest cum multitudine hominum, quos Xerxes non seruandae genti innoxiae, sed ambitioni suae et temeritati, in bello contra Graecos immolauit! Caeterum occisi hi non sine culpa perierunt, sed, quemadmodum luculenter exposui, tota strages vitari poterat, nisi osores Iudaeorum sanguinarii fuissent. De moribus eorum, nempe quomodo illos animo affectos fuisse oporteat, iudicare liceat per exemplum recentioris aetatis. In nuptiis Parisiensibus 1572 ubi papicolis libertas data erat occidendi haereticos opinatos, eheu quam multa millia occisi sunt! Si inter protestantes mandato ediceretur, vt aliquo statuto die liceret papicolos occidere, credo, ne vllus quidem periret, certe nemini, qui vere Lutheranus est, in mentem veniret tali licentia vti. Iudices ergo, cui similes illi misoiudaei fuerint, qui iure mere externo, et postquam satis constabat de regis voluntate ex mandato altero, ita abutebantur, vt Iudaei se defendentes contra aggressores, vel suae securitati prospicientes contra periculosos et vulgo notos inimicos, tamen tot homines interficerent.

Postero post superatum periculum die Iudaei festum diem celebrarunt, idque vt quotaennis fieret, statuto sanxerunt. Sub Mardochaei autem ministerio, loco pecuniae, quae ex Iudaeorum pernicie ad aerarium regium, pollicente Hamane, redire debuit, tributa imposita sunt, ita tamen vt Mardochaeus nihilo fecius omnibus probatus esset, ex quo colligi potest, prudenter et moderate rem tractatam, et vniuerse sumtus, quos bellum infelix cum Graecis absumserat, et etiamnum poscebat, reparatos et curatos esse. Sic scilicet Caput X libri Estherae accipiendum esse videtur, cuius aliter nec scopus nec cum narratis copulatio intelligitur.

Iam iudicet cordatus lector, an tale argumentum, quale continet Estherae liber, vsum habeat ad praxin vitae Christianae. Primum vsus practicus narrationum iam in hoc inest, vt omnes consententur, si characteres hominum boni vel mali in eiusmodi rerum connexarum serie proponuntur, vt in bene agentibus appareat exercitium virtutis et deinde triumphans bona causa, in male agentibus animaduertatur vis mali, quomodo prorumpat, quousque demenciae, turpitudinis, crudelitatis homines abripiat, sed quomodo postremo per prouidentiam Dei limitetur, quinimmo ad illustrandas Dei virtutes et vtilitates proborum

promouendus in sperato transferatur, sed in caput flagitiosorum mala probis intentata recidant, item si a paruo initio res maximae profici-scentes ob oculos ponantur. Sic enim legentibus exhibentur exempla, in quibus locorum communium alias cognitorum veritas illustratur, ani-mumque fortius adficit, nec non occasio datur, ab exemplis ad locos communes progrediendi. An vero opus est, ab hac parte demum commendare Estherae librum, in quo singulae particulae res tradunt, quae valent ad animum commouendum, vt iam attonitus stupeat, iam sancto pauore et reuerentia Dei, iam odio malitiae, iam compassione in causa hominum, qui infontes patiuntur, vel in periculum adducuntur, iam veneratione pietatis vniuersae, modestiae, *abtraqueus*, fortitudinis, magnanimitatis, iam admiratione sapientiae Dei in rerum humanarum gubernatione, grauiter, nec minus suauiter, commouetur? Quid est, diffidere lectoribus, si hoc non est, si de hoc vsu pratico libri Estherae in scripto, vbi breues esse cogimur, pluribus verbis differere-mus? Superest potius aliud quidpiam singulare, et huic libro fere proprium, quod summum pondus habet, dignumque est, quod dili-gentius expendatur.

Nempe placuerat Deo, spem humani generis, cuius salus in Christo decreta est, suspendere a progenie Abrahami per Isaacum, et porro per Iacobum seu Israellem. Quapropter quemadmodum excellentissi-mum fidei Abrahami experimentum, sed et veracitatis Dei documentum, olim in eo erat, quod spes Abrahamo facta exspirasse videbatur, nam ad gignendum ipse et Sara prorsus iam inhabiles erant, neque tamen Abrahami fides vacillauit, et obtinuit etiam promissa, etsi modo non praecuidendo, id quod Paulus magnopere depraedicat et commendat Rom. IV: sic similiter spes Abrahamidarum et salutis humani generis iam deleta videri poterat, postquam decreto irreuocabili statutum erat ex-scindere totam gentem Israeliticam, idque religionis causa, ideoque sic, vt, si qui mortis metu ad gentilismum deficerent, et sic fidelium excidio superuiverent, tamen gens Israelitica perisset; nam apostatae a gente sancta per apostasiam iam excisi sunt, nec amplius promissa foe-deris Dei ad illos pertinent. Sigillatim quae paulo antea Aggaeus et Zacharias praedixerant, quum templum Hierosolymitanum, post moram et periculum varium, tandem perficeretur, euentu caruissent.

Quare historia, quae in libro Estherae memoriae prodita est, neu-tiquam eodem loco et numero habenda est cum aliis historiis Iudaeorum gentilitiis, quas nihil ad se pertinere existimare queat, qui aliis studiis delectetur, sed ad christianam religionem, quae impletae spei Israelis profes-

professio est, quam maxime pertinet. Hoc libro si careremus, nesciremus praecipuum quoddam providentiae divinae et viarum eius admirabilium documentum. Lateret nos, quomodo in extremum periculum adduci fuerit populum sacrum, sed modo non praevidendo etiam liberaverit, quomodo praeparationem ab omnibus ignoratam per Estherae Iudaeae exaltationem fecerit, quanta etiam fides in bonis Israelitis fuerit. Est enim illustre fidei exemplum in Mardochoeo, qui interitum gentis neutiquam metuit, sed Estheram solummodo hortatur, ut occasione bene merendi de sua gente utatur, caueatque, ne dimissa illa propter peccatum omissionis ipsa pereat, C. IV, 13. Specimen etiam exhibetur, quomodo Deus potentiam daemonum, qui signis et diuinationibus efficiebant, ut dii esse viderentur, debito loco coercere consueverit; nam fors Hamanis ad mensum ultimum vertebatur, C. III, 7. Notatu dignissimum denique est, quomodo Deus populum suum liberauerit non modo, verum etiam illa in re quasi iure talionis usus sit. Nam pro eo, quod vnus nebulo fictitiam honoris sui ab vno Iudaeo laesionem perdenda cum illo tota gente vlcisci voluit, contigit, ut in eius flagitio simul perirent, qui similes verae religionis osiores erant, sed in eius locum succederet vir ille bonus, quem oderat, et qui fide in regem antea, et nunc quoque heroica in Deum fide, spectatus fuerat. Sine Estherae libro priuatis duntaxat exemplis constaret, promissionem fidelibus de populo in exilium abigendo datam, vere impletam fuisse, veluti in Daniele et tribus eius amicis. Sed toti genti tale quid accidisse, quod tropice a Iesaja enuntiatis C. XLIII, 2. respondeat, quis opinari ausus fuisset, nisi ex libro Estherae constaret, Israeliticam gentem quasi per aquas ductam tamen gurgite non suffocatum, et quasi per ignem ductam tamen a flamma exustam non esse? Res profecto tam illustris et in suo genere vnica est, ut cum maximis verustioris temporis miraculis, quae pro populo peculii Christi euenerunt, comparari mereatur, et piorum Christianorum frequentem prudentemque meditationem exposcat, quae ut rectius fiat, aliam adhuc obseruationem addamus.

Qui ad procedendi modum attendit, quo Deus in opere suo verus est, facile reperiet, vnique aetati et periodo fuisse quidem illustria operantis Dei documenta, attamen non profus eadem, sed cum varietate, ut cuilibet tempori tribueretur, quod illi aptum erat, sed neutiquam recentior aetas imitari antiquiorem videri posset. Veluti nec magnalia per Moysen edita posthac repetita sunt, nec Moyses in munere suo parem successorem habuit. Aetas Iosuae sua propria habuit miracula. Rursus constitutio regni, quod regni Dei typus adeoque initium

esset,

esset, scilicet in Dauide, cum noua et propria agendi ratione coniuncta fuit. Scilicet postquam rarior facta fuerat prophetia, proxime praecessit Samuel cum schola prophetica, rex vero, Dauid, ipse propheta fuit mirifice praecedentes superans, sed post illum et Salomonem nullus rex posthac, caeterum neuter *Σαματργγός* fuit.

Sint haec exempli loco, nam plura commemorare haec pagina non sinit. Vnum iam adiungam, videlicet post reditum ex captiuitate, quam vocant, babilonica, iridem peculiarem modum, et prioribus quodammodo dissimilem, seruatum esse. Ne vnus quidem eiusmodi *Σαματργγός* extitit, cuius verbo et ministerio ediceretur, quod supra naturae vires extemplo eueniret. At propterea non desunt clara theocratiae specimina. Misli sunt in terra sancta duo prophetae Aggaeus et Zacharias, per quos edictum Dei publicatum est, secundum quod iussa quidem a Cyro sed eousque malis artibus impedita templi restauratio perfecta fuit. Ex his ita inter omnes prophetas Zacharias eminet, vt liber eius proxime comparari possit cum Apocalypsi I. C. Iohanni Apostolo data. Post dimidium, et quod excurrit, seculum Eisdrae theologus, et Nehemias praefectus prouinciae, claruerunt quidem, et donis Spiritus S. supernaturalibus ad docendum et scribendum praediti fuerunt, sed praedictiones futurorum non ediderunt. Post Eisdram vltimo Nehemiae tempore Malachias propheta fuit, et nullus posthac, qui quidquam scripserit, puto, vt, interposito iusto interuallo quatuor fere seculorum, expectatio Christi vehementior, et contemplatio miraculorum eius efficacior esset. Ipse autem Christus se ait opera fecisse, quae ante illum nemo; et consummato illo expectatus ille Spiritus S. datus est, per quem maiores et longe plures viri diuini in Israele vna *γερειᾶ* fuerunt, quam inde a Mose successiue fuerant, donec defunctis apostolis, qui dona illa etiam aliis impertire poterant, et viris apostolicis, qui apostolorum ministerio illa acceperant, status ecclesiae is esse coepit, qualis ad nostra vsque tempora permansit.

Iam perpende, quaeso, quo tempore res euenierit, quae memoriae prodita est in libro, qui Esther inscribitur, et iudica, annon res gesta aetati illi ita conueniat, vt in obseruanda oeconomia Dei vsque ad tempus Christi maxime memorabilis sit, et in catena obseruationum de varietate et dignitate modorum procedendi, quibus Deus vsus est, membrum constituat, quo ignorato res permagni momenti nescitur. Nullum in illa re miraculum apertum occurrit, nullus *Σαματργγός*, et ne propheta quidem. Scilicet res contigit post Aggaeum et Zachariam, stante iam templo secundo; sed res ipsa habet argumentum prouidentiae

tae Israelitis prospicientis illustrissimum, et in periculo, quo maius non subierunt post exitum ex Aegypto. Per Estheram reginam, et si probabile non videatur, eam matrem Artaxerxis I. fuisse, qui Esdram et deinde Nehemiam misit, atque per liberationem Iudaeorum a tot inimicorum millibus, via praeparata fuit duumiris hisce, qua ad opem suae genti ferendam pertingere possent. Sed horum auxilio status Iudaeorum miserrimus in terra sancta maximopere indigebat. Reuera per Esdram cautum est, ne Israelitae populus segregatus esse desinerent, per Nehemiam vero effectum, ut tuto et cum aliqua dignitate viverent. Insuper curae Esdrae theologiae per Nehemiam brachium seculare pondus et effectum dedit. Sed tolerabilem illam reipublicae Iudaeorum conditionem, inter infensos undiquaque hostes, contra potentissimum Persarum imperium, cuius maiestate Samaritae et omnes Iudaeorum hostes in horum perniciem abutebantur, non tamen conueniebat illi aetati, procurari per miracula, qualia Deus per Mosen edidit, non per excidium, quale sub Iosua Cananaei passus fuit. Sed liberatio a periculo excidii per Hamanem intentato rebus Iudaeorum tantum dedit securitatis et dignitatis, quantum fati erat.

Quare conueniens quoque est, quod vir diuinus, qui librum Esther scripsit, simpliciter rem gestam narrat, et ab epicrisi secundum propriae religionis suae dogmata facienda prorsus abstinet, quinimmo ne nomen quidem Dei appellat. Nam sic efficiebatur, ut per totum Persarum imperium promiscue ab omnibus, de religione quamuis dissentientibus, legi posset, utque etiam memoria annua, quam Iudaei celebrabant, inuidia careret. Equis enim liberationem a tanto talique excidio totali non dignam habuisset, cuius memoriam interire non sinerent, qui e periculo capitis euaferant. Occiso autem inimicorum, quae per Iudaeos contigit, illo quidem tempore non ita potuit interpretatione perverti, quemadmodum nunc a nonnullis speciose fit propter vulgarem rerum illius temporis imperitiam. Nam occisos cladem sibi ipsi contraxisse, eamque vitare potuisse et debuisse, tunc temporis non ignorabatur. Praeterea inter barbaros illos et immanes gentes ne Iudaei quidem exquirendis et occidendis hostibus suis, dum licebat, crudeliter quidquam fecisse visi sunt, ideoque lectores libri narratione tali ne quidem credibile est offendi potuisse, quidquid de religione sentirent.

Sed plura huius generis addere, limites iam non permittunt, quibus commentatiuncula haec nostra circumscripta est. Restat, ut ad recordandam memoriam Syhuersteinianam fautores inuitemus, quibus commodum fuerit, et quibus carum est nomen SYLVERSTEINII, quo libe-

XVI

liberariorem stipendiorum fundatorem fortasse tota Germania euangelica non habuit. Oratores erunt Nobilissimi Doctissimiue iuuenes:

GOTTLIEB ERDMANN GIERIG, Lusatus Sorauienſis,
Theol. Stud.

de providentia Dei in gubernandis eorum studiis, qui literis operam nauant.

IOHANNES GODOFREDVS BOERNER, Burkersdorf.
Miſn. Iuris Stud.


de usu medicinae in iurispudentia.

CHRISTIANVS MARTINVS KOCH, Vratislauia - Silesus,
Medicinae Stud.

de Chemiae dignitate.

Ad quos beneuole die Rudolphi, d. XVI Apr. hora X in auditorio theologico audiendos RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, ciues academiae Generosissimos Nobilissimosque, et omnes rerum nostrarum Fautores, humanissime inuitamus. P. P. Lipsiae festo Paschatis A. N. C. MDCCCLXXIII.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.




Fe 3031

S

N.C.






Farbkarte #13

B.I.G.

14


D. CHRIST. AVG. CRYSII
COMMENTATIO
DE
VSV LIBRI ESTHERAE
PRAXIN VITAE CHRISTIANAE.
PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.
D. XVII. APR. MDCCCLXXXIII.
IN MEMORIA SYLVERSTEINIANA